Q. D. B. V.

DE

DOCUMENTORUM ORIGINALIBUS ETIAM POST RECOGNITIONEM AD CERTUM TEMPUS IN JUDICIO RELINQUENDIS,

CONSENSU

ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS,

PRO LICENTIA,

SUPREMOS IN JURE HONORES CONSEQUENDI,

DISSERET

M. Gottlob THOMASIUS, Lipſ.

LIPSIÆ AD DIEM xxiv. AUGUST. ANNO cIↄ Iↄcc xxiv.

LITTERIS ZEIDLERIANIS.

5/

Biblioteca Nazionale

Digitized by Google

Digitized by Google

α. & ω.

Benevole Lector!

De documentorum originalibus, penes acta, etiam poſt recognitionem, in judicio relinquendis tractaturus, thema frequentis fori uſus, rarioris tamen explicationis, judicio Tuo ſubmitto æquanimi, favorem conatui expetens. Biceps materiæ tractatio evenit, tum vel ad certum tempus originalia à judice retinentur, vel in judicio remanent. Primam hujus tractationis partem jam pro viribus, invocato divini Numinis auxilio, excutiendam ſuſcipio, ita ut præmiſſa ſaltem generali verborum ſignificatione, paulo poſt de temporaria originalium in judicio retentione ſim acturus.

 §. I. Do-

Digitized by Google

§. I.

Documenti 1) etymologia, 2) ſynonimia, 3) homonymia 4) definitio.

DOcumentum dicitur â docendo, quia de controverſa re docet *arg. c. 33. cauſ. xII. qu. 2. Auth. ſi quis C. de edendo.* Vocatur alias inſtrumentum *l. 20. C. de fid. inſtr.* ſcriptura *l. 11. C. qui pot. in pign. c. 1. X. de fid. inſtr.* ſcriptum *c. 2. X. eodem*, & denique munimentum *c. 1. §. poſt hoc. de appell. in 6to.* quia producentem munit contra adverſarium. In latiori vero ſenſu de Jure Civili dicitur omne id, quo cauſa inſtrui poteſt, ut tam teſtimonia quam ſcripturæ inſtrumentorum loco habeantur *l. 1. ff. de fid. inſtr.* Saxonico Jure teſtimonia non ſolent venire nomine ſtricte ſic dictorum munimentorum. *conf. P. I. Conſt El. 8.* ubi accipiuntur, pro litteris controverſæ exceptionis liquidam fidem judici facientibus *l. 5. C. de prob. l. 5. de tranſ.* Germanice *Brieffliche Uhrkunden*, â quibus tamen non excludimus depoſitiones teſtium in ſcripturam redactas, *Zeugen Rotulos*, nec privatas ſcripturas, *l. 5. C. de prob. l. 17. C. de fid. inſtr. l. 11. C. qui pot. in pign.* atque ita ſatisfacimus eorum dubio, qui inſtrumenta, latius accepta, in Jure Saxonico, teſtimonia quoque comprehendere cenſent. *conf. Reſol. Grav. de Ao. 1661. grav. 8.* Uſus litterarum, ob neceſſitatem fuit introductus, ut memoriæ infirmitati ſuccuratur. *l. 2. § 14. & 16. C. de vet. Jur. enucl. l. 44. pr. ff. de acquirend. vel amitt. poſſ.* literisque conſignata tanto facilius ea retineri poſſint. *l. in re. 4. ff. de fid. inſtr. l. contrahitur 4. in fin. ff. de pign.*

§. II.

Documenti diviſio prima ſiſtitur 1) in publicum

Nunc ad diviſiones pergens eam præpono, quæ potiſſimum ad materiam diſſertationis ſpectat. Scripta dividuntur in publica & privata. *l. 20. C. de fid. inſtr.* illa publica autoritate confecta & confirmata ſunt. *l. 31. C. de donat. c. 2. X. de fid. inſtr.* His creditur ſine adminiculo de jure vel ſpeciali conſuetudine, *c. cum dilectus 9. X. de fid. inſtr.* h. e. quod ſuffulciri non debeant, v. g. viva voce, veluti ſi tabelliones, vel teſtes mortui ſint, âdeoque tanquam viventes produci, ad fidem corroborandam, nequeant. Conficiuntur

a No-

a Notariis. *l. orphanotrophos 32. C. de epiſcop. & cleric.* Actuariis & ſimilibus, quamobrem probari plene poſſunt per protocolla, *c. 11 X. de prob.* Actuarios a notariis hic ſeparavi, quia in cauſis civilibus inſtrumenta conficiunt, licet non ſint notarii, juxta *Dec. El. 38.* ſimiles vero perſonæ denotant ceteras perſonas publicas v. g. quæſtores &c. quorum ſcripta intuitu officii rite conſignata regulariter plene probant. *c. 13. X. de prob.* Præcipua documentorum horum nomina ſunt ſequentia: *Die Amts-Brieff-Bruch-Cantzeley-Conſiſtorial-Erb-Execution-Forſt-Gerichts-Geſetz-Hader-Handels-Hülff-Kauff-Kirchen-Lehn-Rachtungs Raths-Receſſ-Reformation-Renten-Saal-Schoſs-Stadt Steuer-Straff Vertrag-Vormundſchaffts Urbar-Urphed-Urthel-Wechſel-Zinſs-Zoll und Zunfft-Bücher. Geſchlechts-Rent-Schatz-Schoſs- und Steuer-Regiſter. Bürger-Rolle. WEHNERI obſ. in verb. Bücher. MARTINI ad proc. Sax. Tit. XX. no. 51. Reichs-Matricul. &c.* Probatio quæ fit per inſtrumenta, cum originalia deficiunt, tranſumta non omnino excludit. Quanquam hæc ordinarie a publicis conficienda & confirmanda ſint perſonis. *c. 2. X. de fid. inſtr.* civili tamen jure iis annumerari videmus, ſcripturas privatas a tribus teſtibus probatæ & integræ opinionis viris ſubſcriptas. *l. 11. & auth. ſi quis C. qui pot. in pign. Conferatur FELINUS ad c. 2. X. de fid. inſtrum.* Quid obtineat in ſcripturis privatis ex archivo prolatis v. g. apocha in actis publicis reperta, *conſ. Illuſtr. Dn. MENCKE ad O. P. S. tit. 24. §. 10. no. 3.* ex arg. *auth. adhac C. de fid. inſtr.* eſt colligendum, ſed cum temperamento ex circumſtantiis petito. Quædam ceterum inſtrumenta, ſive privata, ſive publica, communia eſſe poſſunt. *DUAREN. ad tit. de fid. inſtr. p. m. 124. ſeq. Vol. II. l. 7. C. de edendo* de quibus *l. ult. ff. de fid. inſtr.* quæſtionem facit ſequentem: ſi duo habeant inſtrumentum commune apud quem illud aſſervandum ſit? Confirmantur alia vel ſubſcriptione tantum perſonarum publicarum, uti actuariorum, notariorum, dominorum jurisdictionis, *a. c. 2. ſcripta X. de fid. inſtr.* vel ſubſignatione & in acta publica ac protocolla inſinuatione, *l. fin. C. de re jud. auth. ad hac C. de fid. inſtr. l. 4. ne in arbitris §. 1. C. de recept. arbitr.* Huc exhibi-

hibita judici teſtamenta ſunt referenda, *l. 2. C. de teſtam. l. ult. C. de re jud.*

§. III.

2) in privatum.

Miſſo publico inſtrumento ad privatum progredior, quod autoritate privata conficitur. Differt ab eo, quod illud pleniſſimam, & a lege dependentem fidem habeat. *l. cum precibus 18. C. de prob.* hoc vero in tantum, in quantum probatur a recognoſcente. Non ordinarie pro ſcribente probat, *l. 5. 6. & 7. C. de prob.* ſed contra eum fidem producit. *l. 25. §. ult. ff. eod.* In genere eſt ſcriptura privata, quæ de re geſta fidem facit, *a. l. 4. C. de N. N. P.* & ſub voce inſtrumenti comprehenditur. *l. 1. ff. de fid. inſtrum.*

§. IV.

utrumque vel obligatorium, uti α) chirographum, β) ſyngraphum, γ) antapocha,

In ſpecie abit primo in obligatorium: uti chirographum proprie ſic dictum, quod eſt ſcriptura privata, qua debitor fatetur debitum; Syngraphum quo paciſcentes utuntur in rei geſtæ fidem, & quidem proprie, quando bilaterale geſtum eſt negotium & ab utraque parte ſubſcriptio facta, v. g. in emtione, &c. & Antapocha, quæ eſt, quando debitor debitum fatetur ex eadem cauſa, ulterius ſolvendum, *l. 2. C. de jur. emphyt.* vel ſi creditor acceptis accipiendis duas conficit apochas, ut harum altera penes ipſum remaneat, altera vera ſubſcripta debitori tradatur: gallice

vel liberatorium,

quittance double DUAREN. loc. cit. pag. m. 942. cap. II. & liberatorium quod apochæ nomine venit & eſt ſcriptura, qua creditor confitetur ſe debitam a debitore accepiſſe pecuniam, alias quittantia appellari conſuevit, quia quietem dat & ſecuritatem de debito ulterius non petendo conciliat. Cui tamen prævalet inſtrumentum ſolenne ante recognitionem. *MASCARDUS de prob. concl. 109. no. 10.*

§. V.

privato annumeratur 1) epiſtola,

Secunda ſpecies documenti privati epiſtola conſtituitur, quæ eſt ſcriptura privata ad abſentem directa, *l. 26. § fin. ff. depoſiti,* qua v. g. ipſum de aliquo negotio certiorem reddimus ab

eo

Digitized by Google

eo aliquid petimus, vel ei promittimus, contractum, conſenſualem quoque § *unic. J. de oblig. ex conſenſ.* aut pactum inimus, mandatum ad aliquod negotium expediendum damus, & quæ plura ſunt ejusdem generis. Hæc autem cum ſit in judicio producenda, in hoc, prout aliud munimentum eſt relinquenda, v. g. ſi Cajus Titio aliquid donaſſet, *l. ſi aliquid 13. l. ſi donatio 5. C. de donat.* etiamſi, de tempore & die non conſtet, tamen epiſtola probat, modo præſentetur ante mortem donantis nomenque hujus habeat. Probat pro ſcribente. ſi accipiens ea perlecta tacuit. *l 16. ff. de SCto. Maced.* et ſi producitur in judicio abſque proteſtatione. *a. l. 19. ff. de R. C. CARPZOV. P. I. C. 17. d. 7. no. 1. ſequ.* Cautio ſive confeſſio, quam præſens præſenti dat, epiſtola etiam dicitur nonnunquam. Qvia hæc cautio v. g. debitoris, quæ apocha vocatur, olim etiam more epiſtolæ concipiebatur. *l. publia 26. §. fin. ff. depoſ. DUAREN, loc. cit. pag. mihi 942. conf. MENOCH. de arbitr. jud. quæſt. caſ. 93. qu. 93.*

§. VI.

Ultimam privatarum ſcripturarum ſpeciem, rationum, mercatorum campſorumque, &c. libri faciunt: *Handels-Craam- und Apotheker-Bücher &c.* qui tanquam propria confeſſio & privata ſcriptura, contra autorem pleniſſime probant, contra tertium vero ſemiplene. Conficiuntur a mercatoribus vel ipſis, qui ſint integræ famæ, eorumque rationes contineant data & accepta, cauſas debendi, annum & diem, vel a perſonis, quæ in eorum ſunt officio ac juratæ, prout ab inſtitoribus, ſi probationem deſideres ſemiplenam. Multum tamen judicis arbitrio relinquitur, quoad requiſita jam deſcripta, & ad pleniſſimam fidem acquirendam, vel ſuppletorium juramentum, vel teſtis idoneus exigitur. Mortuo vero mercatore & teſte deficiente, heres arbitrio Judicis ſuppletorium jurare poteſt credulitatis. Probant tantum res, quæ ad commercium ſpectant. *CARPZOV. P. I. C. 17. def. 35. ſ. 37. IDEM Lib. VI. Reſp. 121.* Eadem ratio quodammodo intercedit inter horum & eorum libros,

2) libri mercatorum.

Digitized by Google

bros, qui res ſuas alicui ſine chirographo credere ſolent, v. g. Sartorum, *Schiffs- und Wirthſchaffts-Bücher*, probe ponderatis circumſtantiis & uſu ſuffragante. *Illuſtris Dn. MENCKE ad O. P. S. tit. 24. §. 7. Dn. SCHÖPFERUS in Synopſ. ff. de fid. inſtr. no. 30. ſequ.* Diſtinguebantur libri mercatorum de jure civili a libris argentariorum, quia hi publicæ erant perſonæ. *l. 10. argentarius. ff. de edendo j. l. 88. filia. ff. de ſolut.* Quoties celebrabatur emtio venditio, frequenter negotium per hos gerebatur, pecunia fœneranda penes eos deponebatur, & de adminiſtratione rationes conficiebantur. Qvia vero libri mercatorum certa ratione publicis æquiparantur quoad fidem, ſi ſuppletorium juratum ſit, non neceſſario, nec in præjudicium commercii, in judicio relinquuntur. Decoctorum autem libris nulla plane competit fides, neque pro ſe contra tertium, neque pro tertio contra ſe. *MARTINI tit. XX. n. 131. ſequ. no. 137. ſequ.* haud excluditur tamen Judicis arbitrium, ob circumſtantias adhibendum. *a. l. 3. §. 2. ff. de teſtib. l. 1. §. fin. ff. de jur. delib.*

§. VII.

Inſtrumentorum altera diviſio. *a*) in originalia,

Alia iterum documenta ſunt avthentica, quibus plene creditur & a quibus exempla deſcribuntur. *l. 4. §. fin. ff. fam. erc.* Hæc autem originalia, quæ primum de negotio conficiuntur; improprie ſunt talia, quæ v. g. a notario conficiuntur, nec non protocollum vel imbreviatura: proprie vero quæ a notariis teſtibusque ſunt ſubſcripta, *DORNSPERGER in Syntagm. jur. lib. I. C. V. pag. 80. 81. ſequ.* Diſſentio hoc loco ab iis, qui matricem proprie eſſe originale aſſerunt, improprie vero id, quod ex protocollo extenſum eſt. *MASCARDUS lib. cit. qu. 6. no. 75.*

§. VIII.

b) in tranſumta,

Alia ſunt tranſumta ab illis deſcripta, quæ vidimus, vocari ſolent, *Ill. Dn MENCKE in tit. ff. de fid. inſtr. §. 9. & ad O. P. S. t. 24. §. 8.* quia a tabellione &c. ſubſcribenda teſtimonioque inſtruenda de eorum cum authenticis, quoad verba, literas & mentem, omni-

moda

moda convenientia. Hæc quantam fidem faciant judex arbitratur. Qvoad ſubſcriptionem originalis, non tranſumti, notariatus ſigilli adpoſitio neceſſarium eſt requiſitum. *Dec. El. 20.* Qvandoque tamen originalium loco queunt recognoſci ab adverſario ſatis legitimato, ad redimendam moram: Literarum diviſionem in eas, quæ chartæ & quæ pergamo a notariis ſecundum *Ord. Not. de Ao. 1512. §. 19. item, die Notarien ſollen &c.* traduntur, merito omitto, cum ſit ab accidente quodam deſumta, quod ad fidem majorem parum conducit.

§. IX.

Cum adhuc hæreamus circa ſignificationes noſtrique rubri definitiones, ad evolvendum recognitionis ſignificatum ducimur, quæ adprobationem ac confeſſionem, tam ſubſcriptionis quam ſubſignationis contentorumque, documenti producti & perlecti, a recognoſcente, coram competente judice factam, denotat. *l. 56. pr. ff. de. V. S. l. 4. ff. teſtam. quemad. aper. l. 5. ff. fam. erciſc.* Unde ſi documentum ſit obligatio, debiti confeſſio & agnitio a debitore deſideratur. Definitur recognitio.

§. X.

Judicium eſt legitima tractatio controverſæ cauſæ coram competente Judice, ut hujus ſententia lis finiatur. *a. c. 10. X. de V. S.* Nihil ceterum ex rubro noſtro obſcurum aut prolixius deducendum ſupereſſe video, cum ea ſatis explicaverim, quæ de documentis, tanquam præcipuis diſſertationis meæ, fuerunt tradenda. Quia autem proponenda ſunt documenta, quæ uſque ad ſententiam in judicio manent; primum hujus theſeos argumentum ex probatione eruam, non tamen judicum, actuariorumque, qui ſtudio partium laborant, & callide ac fraudulenter documenta extorquent, malitiam, ob dona inimicitiaſve, ad litis retardationem & difficiliorem probationem, augere, tueri, aut excuſare conabor. Definitio judicii.

§. XI.

Inſtrumenta a judice ſunt retinenda. 1) usque ad ſententiam, 2) ob probationem,

Munimenta quædam, etiam poſt recognitionem, ad certum tempus in judicio eſſe relinquenda aſſero. Conficiuntur enim, ut memoriæ hominum infirmitati ſuccurratur, ac Judex de re dubia informetur. Quamobrem in eo rei vertitur cardo, ut recognoſcantur, & contenta iis probentur, *l. 1. ff. de fid. inſtr. Auth. ſi quis C. de edendo.* Hoc liquidius conſtat ex *O. P. S. tit. 24. §. 3.* ex qua antea ſententia de iis non eſt ferenda, (etſi una cum libello ſint producta) quam lis ſit conteſtata, & actor in vim probationis ea protulerit, niſi ſint executiva, aut exceptiones litis ingreſſum impedientes probantia. Exempli nulla eſt probatio. *c. 1. X. de fid. inſtr. l. 2. ff. eod. l. ult. ff. teſtam. quemad. aper.* Avtentico nec ſubſcripto nec ſubſignato modica competit fides, quamvis protocollo inſertum ſit. unde multo minor exemplis. *l. 7. C. de prob. l. 2. ff. de fid. inſtrum.* ex qua lege ne fiſcus quidem iis probare poteſt, ſed ex officio rejicienda ſunt. *MASCARDUS de probation. concl. 928. no. 17.* alias tacite approbantur & illegitimus evadit ſcriptorum uſus, qui veritatem non evincit. Literæ probationem reſpiciunt. *l. 1. C. de juramento, l. non idcirco. 12. & 17. c. de fid. inſtr. l. cum res 12. C. de prob. l. in re. 4. ff. de fid. inſtr. l. 4. ff. de pignor. l. 9. C. de nuptiis.* Qvamobrem, qui hiſce vera judici eſt edocturus pleniſſime probare & omnia accurate demonſtrare tenetur. Judex ſecundum acta & probata judicare debet, & non jus dicere poteſt ſi non vidit probationem, nam ad privatam notitiam non eſt judicandum. Unde *O. P. S. tit. 25. §. 1.* eſt conſtitutum, ut productus eas ſufficienter examinet, exceptiones ſuas v. g. ſuſpicionis & falſitatis, ſtatim recognitioni annectat, atque hæ apud acta relinquantur, *O. P. S. N. tit. 25. § 1.* quo judex ſciat, num impugnatum inſtrumentum ſit omnibus numeris abſolutum, nec ne. Poſt productionem vidimatæ copiæ originalium, ſi nullæ circa formalia eorum mota ſunt dubia, apud acta relinqvuntur, *per cit. §.*

§. XII.

§. XII.

Nunc de ſuſpicione dicendum eſt. Ad probationem enim neceſſario requiritur, judices ſive collegia cognoſcere omnia dolo carere, cum rei partes regulariter ſint favorabiliores actore. *l. favorabiliores. 125. ff. de R. J. l. matrem. 17. C. de prob. c. cum inter 5. X. de except.* adeoque ſi v. g. actor intentionem ſuam fundat in documentis, firmitas eorum, ob ſuſpicionem, vacillat. Unde inſtrumenta quarentigiata *MASCARDUS concl. 391. no. 5.* eorumque originalia, ſive ſint publica ſive privata, jus dicenti etiam poſt recognitionem, ſunt exhibenda. Atque hoc, urgente neceſſitate, judicia introduxiſſe obſervantia edocet. Judici fit probatio, hinc illi, ad perſcrutationem, ſunt oſtendenda. Falſum in parte in totum præſumi facit falſum. *MASCARDUS concl. 743.* Qvæ ſuſpecta ſunt probandi virtutem perdere ſolent. conf. *der Stadt Nürnberg Reformation de Ao. 1564. Tit. VIII. das I. Geſetz, ubi Judex expreſſe ſuſpicionem inveſtigare jubetur.* 6) ob ſuſpicionem.

§. XIII.

De ſufficiente & inſufficiente probatione ſemper ſententia fertur. Qvamobrem avthentica ad meliorem certitudinem ſunt exhibenda. Diſtinguenda tamen ſunt falſa *l. 1. §. ſi quis. ff. teſt. quemad. aper.* a documentis de falſo ſuſpectis, illa ſunt, quando falſus eorum eſt tenor. h. e. quando aliter res eſt geſta quam denotata. *l. 5. C. plus valere &c.* & ſi inſtrumentum repugnat protocollo, quia ad hujus fidem recurritur. *R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien. § 5.* Suſpicionem vero pariunt inſtrumenta, quando ex præſumtionibus, veroſimilibusque ſuſpicionibus conjicitur falſitas. Suſpectorum ſcriptorum genera eorumque generaliora prius perveſtigaturus ſum, quam de documentis per ſe falſis dicere aggredior. Equidem non ſuſpicioni juris ſed judicis ſubjacent, in cujus arbitrio conſiſtit, an iis fidem habere velit, quia probatio arbitrio judicis expendenda eſt. *l. 3. ff. de teſtib.* Et hanc ob cauſam, ſi ſuſpiciones emer- ſuſpicionem & falſitatem diſtinguit.

gant judex inſtrumento fidem adhibere non debebit. Sed producens rationes intemeratæ fidei reddat caveatque, ut judex, cognita cauſa, illis virtutem probationis tribuat. Hanc ob cauſam datur terminus, impugnandi probationem *Termin über den Beweiſs zu verfahren, und die Documenta zu recognoſciren.* Evidentiæ, præſumtiones, conjecturæ & indicia, per ſuperius deducta, ſunt ponderanda, atque judicis arbitrium dirigendum ſecundum jus & æquitatem.

§. XIV.

Suſpicio ex prioribus collatis poſterioribus indagatur.

Cum antecedentia ſemper ſint cum poſterioribus connectenda, nunc ſuſpecta ſcripta inveſtiganda atque cum præcedentibus combinanda exiſtimo. Oriri autem poſſunt circa verſionem ſuſpiciones, hinc ex duplici capite, ob verſionem & ſuſpicionem, uſque ad ſententiam retinentur.

§. XV.

Generaliora ſuſpicionis indicia quæ exoriuntur 1) à perſonis, 2) intuitu producentis,

Producentis perſona ſuſpicionem parit, ſi hæres eſt ex minima parte, vel ille, cui tabulæ teſtamenti non reliquuntur, qui has profert v. g. ſi non eſt maſculus, non ex majori parte hæres, *l. 4. §. 3. & l. 5. ff. fam. erciſc.* non honore præminet, non ingenuus, non ſenior eſt, *l. fin. ff. de fid. inſtr. a l. 4. & 5. ff. fam. erciſc.* Si quis illo ſe muniat munimento, quod antea impugnavit, *c. 19. §. licet enim X. de cenſibus. c. 38. de R. J. in 6to.* Si producens non bonam habuit famam & conſuevit falſa producere & committere, nam tunc inducitur præſumtio falſitatis, *MASCARDUS latius exponit famam, concl. 749. ſq. & concl. 741. n. 29.* quia ille qui ſemel malus ſemper talis præſumitur in eodem genere delicti. *c. 8. de R. J. in 6to. a. l. 7. §. 3. ff. de accuſ. c. 9. X. de præſumtion.* Quamobrem in dubio literæ hujusmodi perſonæ pro falſis habentur, ſi cum aliorum bonæ famæ virorum ſcriptis concurrant, partim aut in ſolidum contrariis, quamvis alias, cum duæ ſibi invicem ſunt contrariæ, falſitatem earum arguant. *c. imputari 13. X. de fid. inſtrum.* Suſpicione ulterius laborant obligationes, ſi judex ſciat aliquem ad eas eſſe impulſum vi aut illecebris. Si producens ſit vagabun-

bundus & ex cambio debitum petat, infamis, raptor vel defraudator. Aſt minuitur falſi ſuſpicio, ſi denuo productio petatur & iteratam productionem poſtulans juramentum, vel nolit, vel ſalva conſcientia nequeat præſtare, quo aſſeveret: ſe illud poſſe falſi redarguere, ubi temere peti nova productio creditur. *l. 21. C. de fid. inſtr.* Quod ſi plures coacerventur ſuſpiciones majorem excitant diffidentiam contra documentum.

§. XVI.

Incertum & dubium redditur documentum producti oblatione ad diffeſſionem, modo productus bonæ ſit famæ, juramenta religioni ducens & non perjurus, præcipue ſi accedat aliud falſi indicium. Ceterum apud nos Studioſi *Mandat. Elect. de Ao. 1718. d. 29. Dec.* aliique minores viginti quinque annis, exceptis mercatoribus, ex cambio *Mand. El. de Ao. 1724. d. 21. April*, minores absque conſenſu curatoris, & prodigi publice tales declarati, ex obligationibus nequidem tenentur. *a. l. 10. ff. de curat. furioſ.* β) intuitu producti,

§. XVII.

Pars non ſemper munimentis ad motam controverſiam facientibus eſt inſtructa, ſed ſæpe ab alio ſive tertio editionem poſtulat, qui multum autoritatis illis detrahere poteſt, ſi ea ſua ſponte offerat. Præprimis ſi a tertio editio petita, cujus emolumentum intercedere poteſt, & illico, ſive ſpontaneo motu, inſtrumentum edit, tunc enim ſe ingerere & ſuſpectum reddere videtur, *a l. 25. ff. de procur.* e contra ſi præſtet juramentum: ſe illud ob juſtum detrimenti metum retinere, ad editionem haud cogitur. *l. 22. C. de fid. inſtr.* Sed ſi ex teſtamento agatur a cohærede id edendum eſt in originali, quoniam omnibus, quorum intereſt, inſtrumenta hoc caſu ſunt communicanda, adeoque poſſeſſor ſe editioni ſubducere nequit. *a. l. 8. ff. fam. erciſc. Ord. Nat. de Ao. 1512. §. 23.* Sic quoque edenda ſunt inſtrumenta communia, *l. 7. C. de edendo*, his libri mercatorum certo modo æquiparari poſſunt. *MASCARDUS concl. 976. n. 79.* Siquidem data & accepta continent, adeoque ipſi in connexis etiam debitori edi & ab γ) intuitu tertii,

eo ad probationem produci queunt, *a l. 82. ff. de cond. l. 6. §. 3. ff. de edendo.* atque in hunc uſum reis haud raro eduntur, *MARTINI ad rubrum tit. de probat. num. 136.*

§. XVIII.

2) a tempore producendi repetendive documenti ejusque reproducendi,

Ea, quæ poſt probationem abſolutam ſive publicata atteſtata producuntur, *c. 9. X. de fid. inſtr.* an cum dolo quodam ſint conjuncta examinari meretur, præprimis ſi contineant negotium in aliis documentis aliter relatum. *a. c. 10. X. eod.* Porro cavendum eſt ne v. g. debitor, ob extinctam obligationem, in jus vocetur, *a. l. 3. C. de præſc. 30. vel 40. ann.* nec non reſpiciendum, an obligatio ſit ab actis repetita eo tempore, quo pars percepit adverſarium eam falſi arguiſſe aut arguere poſſe ſive ante recognitionem, ſive poſt eam perinde eſt. Cum quis inſtrumenta iterum producere jubetur idque facere detrectat, allegando amiſſionem, deducenda eſt, ex circumſtantiis urgentibus. *l. 5. l. f. verb. ſed ſic. C. de fid. inſtr.* Ante litis conteſtationem usque ad concluſionem, non vero poſt eam, poſſunt produci, *c. 9. X. eod.* etiamſi aliquid in proceſſu ſit immutatum *a. c. 5. paſtoralis de cauſ. poſſ. c. cum veniſſet 25. X. de teſtibus l. ſi quis 11. C. de R. C.* niſi juſta cauſa a judice cognoſcatur. *d. c. 5.* quanquam iſte, cui beneficium reſtitutionis in integrum competit, ſeriûs, pro re nata, documentum producere queat. *a. l. 24. §. 4. ff de min. l. f. C. ex quibus cauſ. maj. Dec. Elect. 4.* quo caſu tamen non excluſa videtur ſuſpicio ex dilata productione emergens. Neque diu ſunt occultanda inſtrumenta, unde ſi judex præfixit terminum ad producendum, & poſt hunc elapſum producuntur, etiam inde exiſtimari, ex urgente cauſa, poterit, ea eſſe ex poſt facto confecta v. g. ab actore, ad irritas reddendas rei ſcripturas, quarum notitiam nactus eſt. Hanc ob rationem non publicantur atteſtata antequam reprobans reprobavit, *fac. Nov. 90. c. 4.* cujus prudentiæ convenit articulos eliſivos tempeſtive ex exceptionibus alterius eruere. Poſſunt tamen impedimenta legitima incidere productionem litterarum remorantia, quibus tales ſuſpiciones purgare licebit.

§. XIX.

§. XIX.

Si ſcriptura eſt corrupta, quamvis non penitus, in litteris tamen, aut in margine, ut vel legi, vel v. g. ſigillum cognoſci nequeat *c. 6. X. de fid. inſtr.* hæc fide deſtituitur. Concedo equidem quod, ob antiquitatem, ſolennitates præſumantur, non tamen hæc excludit præſumtiones in contrarium fortiores, quia una præſumtio tollitur per alteram. *a. l. 24. ff. de prob. MASCARDUS concl. 1231.* Concedo etiam, quod ſcriptum verum & ſolenne cenſeatur, ſi id Notarium feciſſe conſtet, aut in dubio verſemur. *a l. 30. ff. de V. O.* Neque nego, quod valeant documenta, ſi in loco publico inveniantur, ponderatis circumſtantiis quamvis de notariatu non conſtet. Vix tamen quendam futurum eſſe credo, qui antiquitatem a ſuſpicione liberare contendat, ſi inſtrumentum ex validioribus argumentis impugnetur. Antiquis enim documentis, in dubio fidem habendam & inventis vitiis denegandam eſſe cenſeo. Nam reus falſa antiquiſſima ſcriptura alias facile convinci poſſet, ob difficilem probationem in contrarium, cui tamen, tanquam debiliori parti, ſuccurrendum eſt. *a. l. 38. ff. de re jud.* ſiquidem inſtrumenti invalidi ſolennitates ex longo tempore non præſumuntur efficaciter, ſi vitia ejus doceantur. *MASCARDUS concl. 906.* 3) ab antiquitate,

§. XX.

Conſuetudinem eſſe munimenta diſtincte producendi obſervantia & ordinis ratio docet. Præcludendus enim eſt aditus ad fraudem, quæ, coacervato cumulo munimentorum facile oriri poteſt, quoniam judex non tantum duarum partium litigantium ſed plurium cauſam & negotia curat, adeoque, niſi partes inſtrumenta diſtinguant, cognitio ſolida & indagatio circumſtantiarum impeditur. Si, cum præfixus eſt terminus ad exceptiones opponendas, iis oppoſitis, multæ, probationis gratia, uno actu productæ ſunt ſcripturæ, iſta productio generalis nimis & obſcura plurimis, & mihi, videtur, *a. l. 36. ff. de R. J.* quo- 4) a conſvetudine producendi particulariter, non in ſolle,

quoniam reſpectu probationis oritur impedimentum judici, producenti & producto. Nam judex ſcire non poteſt, de quibus munimentis parti copiam facere, *Plura vide penes* JASON. *In l. Titia textores n. 7. &* JOH. ANDRE. *ad ſpecul. de inſtrum. edit. §. videndum reſtat v. item non exhibeas &c.* vel ſententiam ferre debeat, pars autem ipſa quid producat, vel contra quod excipiat; unde neceſſitas extorquebit ſententiam interlocutoriam, qua inſtrumenta jubeantur ſignari. Eundem, & ſpecificum quidem, in Saxonia producendi modum exigi & obſervari ſatis liquet ex *O. P. S. tit 24.* videatur quoque *Mandatum Supr. Cur. Prov. Lipſiæ de Ao. 1716. d. 31. Aug. verbis: Daſs die Advocati und andere, die bey denen Sätzen producirten Documenta mit ungewöhnlichen und unbekanten Signis nicht bezeichnen, ſondern alleine mit numeris oder Buchſtaben notiren ſollen &c.* Suſpectam tamen putat VASQVIUS hanc opinionem: primo quia contrarium obſervaret judiciorum uſus, deinde quia ſatis certum eſſet, quod certum ſit per relationem ad certum. *l. 5. §. 1. l. 59. §. 1. ff. de re jud.* Cum tales ſcripturæ jam ſint in poteſtate judicis earumque contenta, adverſæ parti communicanda. Hinc non videt quid deſit, quidque amplius petendum ſit: nam ſi aliquis centum ſcripturas diverſas conjunctim produxerit, ſimiliter potuiſſet totidem ſigillatim aut ſeriatim producere, nec, quid detrimenti metuendum ſit ipſi: utrum eas omnes ſimul, an vero ſucceſſive produxerit. *VASQVI controv. uſu frequent. Lib. II. c. 32. n. 16.* Verum neque conſvetudo fori promiſcue huic ſententiæ accedet, neque in folle, ciſta ſacco, vel absque ordine facta productio inſtrumentorum, judicem partemue ſatis inſtruet, aut cauſæ plurimum lucis conciliet.

§. XXI.

5) a loco, qui eſt inprimis ſolicite exprimendus in inſtrumentis Notariorum,

In inſtrumento publico locus quoque eſt exprimendus, ut ſuſpicionis occaſio evitetur. *vid. Ord. Not. de Ao. 1512. §. 3.* ſi enim eſt omiſſus, naſcitur inde ſcrupulus. Licet locus loci a quibusdam etiam deſideretur, eumque notarii haud negligere ſo-

ſoleant, rogati *per dict. §. verbis: Mahlſtatt und an welchen Orte derſelben*, non tamen ſemper in documentis publicis eſt neceſſarius. *a l. 34. §. 1. ff. de pign. l. 11. C. qui, pot. in pign.* In notariorum inſtrumentis ratio conſiſtit in eo, quod notarius non eſt rogandus in loco ſuſpecto, ne contra gerentem clandeſtinum actum, cum publicum gerere potuiſſet & debuiſſet, præſumatur. *MASCARDUS concl. 1100. n. 38. concl. 4. n. 24. qu. 6. n. 90. ſequ. Rec. Imp. de Ao. 1512. Tit. von Notarien §. 24.*

§. XXII.

Cum confeſſionis in judicio factæ tanta ſit vis, ut contra confitentem vim judicati habeat *l. un. C. de conf.* atque in ea acquieſcendum ſit *l. 13. C. de N. N. P.* is, qui adverſario apud acta fidem inſtrumenti prolati in dubium vocante, eo quod verum illud non eſſe profiteretur, huic renunciavit, eam confeſſionem revocare nequit. *l. 3. C. de fid. inſtr.* Nam, qui falſi inſtrumenti machinator eſt, abſtinendo ab illius uſu, accuſationem ex L. Corn. de falſis evitare, aut defenſiones recuſare, nequit, ſed crimen exceptionibus ſuis declinare tenetur. *l. 8. C. ad L. Corn. de falſ.* at cum inſtrumentum eſt oblatum, cujus fidem adverſarius, tanquam falſum, impugnat, primum proferenti illius veritatem corroborare, deinde iſti, qui idem falſi arguere paratus eſt, argumenta ſua deducere incumbit *l. f. C. eod.* interim ipſi, qui ſolam productionem documenti fecit, eidem renunciando atque ſic ab ejus uſu abſtinendo, accuſationi & inquiſitioni ex falſo ſe ſubducere permittitur. *d. l. 8.* hoc igitur medio, qui criminis ſuſpicionem a ſe removit, & incommoda ulterioris indagationis, ſuo bono, declinavit, poteſtate pœnitendi documentumque denuo uſurpandi excidit. *d. l. 3. C. de fid. inſtr, j. l. 13. §. 1. ff. ad L. Corn. de falſ. BRUNNEM. ad L. f. C. ad leg. Cornel. de falſ no. 2.* dummodo renunciationem ſimpliciter, non vero cum proteſtatione ſalutari, fecerit. *a. l. f. ff. naut. ſtabul. BRUNNEM. ad l. 3. C. de fid. inſtr.* Eadem vero intercedit ratio, ſive confiteatur producens: Scripturam totam eſſe falſam, ſive ſaltem

6) ab aſſerta falſitate inſtrumenti ab adverſario, quam ſubſecuta eſt producentis renunciatio eidem facta: tum enim illo amplius uti regulariter non licet iſti, qui inſtrumentum produxit.

Digitized by Google

tem falſum in eo commiſſum, nec intereſt, ſive totum inſtrumentum, ſive illius pars ſubſtantialis falſo laboret, modo falſitas ſit in parte ſubſtantiali quoad materiam: utputa, quando Mandatum ſive Reſcriptum falſum eſſe ratione mandantis aut reſcribentis arguitur, quatenus ab illius autoritate ac voluntate omnis dependet ejusdem virtus, *c. cum in jure 31. X. de offic. jud.* Idemque judicandum, quoties formale requiſitum documenti deficit. v. g. ubi in Inſtrumento notarii Imperatoris annus imperii eſt prætermiſſus. *R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien §. darum. 4. MASCARDUS de prob. concl. 743. Illuſtr. MENCKE ad. O. P. S. tit. 24. §. 2.* quod in capitulis ſeparatis & accidentalibus ſecus eſt. *a. c. 37. d. R. J. in 610 l. 29. ff. de. V. O.*

§. XXIII.

7) a cancellatione, mutilatione, & laceratione documenti.

Probandi vim, in ſcripturis, minuit aut extinguit cancellatio, & laceratio. *c. 6. X. de fid. inſtr. l. ult. C. de edict. div. adr. toll.* ſive ſint antiquæ, ſive recentiores corruptiones. Prudenter autem de ea judicandum eſt, ne probandi virtus dematur parti, quæ ſalva eſt, maxime in cancellatione, quam formem vocant, cui ſcilicet adſcripta eſt cauſa, propter quam ſuſcepta: illa enim ultra intentionem expreſſam non porrigitur. *l. 2. ff. de his qui in teſt. del. l. 47. §. f. ff. de pactis.* Si quidem alias quoque actus ex intentione partium explicatur, *l. 19. ff. de R. C.* adeo ut, cum indubitata eſt, illa inter paciſcentes voluntas, emtio venditio cancellata, quo aliis perſuaderetur receſſum eſſe ab emtione venditione, inter eos, ad infirmandam obligationem, effectu careat, quia actus ſimulatus, quando de eo liquido conſtat, validitati emtionis, revera celebratæ, nihil nocet. *a. l. 21. C. de pactis l. 6. C. ſi certum petatur. l. 2. C. plus val. quod agitur. LAUTERB. differt. de cancellat. th. 11.* Quod ſi cancellatio ſit informis, & cauſa illius haud expreſſa, chirographum, quoties reperitur cancellatum apud creditorem, hinc inducitur liberationis præſumtio. *l. 2. §. 1. ff. de pact.* contrariam proba-

probationem ac præſumtionem ex circumſtantiis haud excludens *l. 24. ff. de prob. MENOCH. de Præſumt. præſ. 141. n. 4. ſeq. BRUNNEM. ad l. 24 ff. de prob. n. 21.* & inconſulta cancellatio, veluti a ſumme ebrio, furioſo &c. facta, debitum non abolet, potius quod factum eſt pro facto non habetur, *l. 1. §. 1. ff. de his, quæ in teſt. del. l. 30. C. de teſtam. LAUTERB. d. loco th. 7.* Ubi charta in præfatione aut accidentali parte eſt lacerata, non corruit inſtrumenti fides. *a. l. fin. C. de edict. div. Hadrian. toll. verb. neque ex quacunque ſua forma parte vitiatum. FRENTACINUS t. de fid. inſtrum. l. 2. reſol. II. no. 2.* Huc quoque maculæ in loco eſſentiali deprehenſæ ſpectant, eæque graviter nocent atque in his eadem obtinet ratio. *MASCARDUS de prob. concl. 284. n. 1. 2.*

§. XXIV.

8) a charta.

Præterea chartæ intuitu falſum præſumitur inſtrumentum, ſi pars eſſentialis corrupta legi non poſſit, quod enim nequit legi, non poteſt intelligi. *l. 1. §. 1. ff. de his quæ in teſt. del.* Si charta ſit corrupta, maculata, raſa, vilis & ſordida, diverſo modo ſignata, aut perforata. *MASCARDUS de prob. concl. 741. n. 21.* Judex pariter de re dubia non ſatis informatur. *a c. 6. X. de fid. inſt.* Neque antiquitas, quæ facit, ut veritas per conjecturas inveſtiganda veniat. *MASCARDUS concl. 107. no. 1.* ab oculari vitio abſolvit. Ceterum neque in antiquo negotio facile recentiori charta, neque in recentiore antiqua charta, *MENOCH. de arbitr. jud. qu. caſ. 187. n. 37.* neque in ſuſpecto loco diverſa aut tali charta temere utendum eſt. *cit. cap.* filumque ſigillo, pro qualitate negotii & inſtrumenti, ſubjiciendum.

§. XXV.

9) ab atramento.

Ducimur ad atramentum diverſum vel aquæ mixtum, ut negotium olim perſcriptum videretur. *c. 6. X. de fid. inſtr.* cujus quoque fugienda eſt immutatio, unde excitata ſuſpicio judicis arbitrio relinquenda. *MENOCH. loc. cit.* Ordinatione notariorum omnis fraus occaſioque, unde inſtrumenta ſuſpecta

C 2 fieri

fieri queant, in genere evitari jubetur. *R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien §. 5. 19. 21.* quam ob rem, etiamſi inſtrumenta non de facto fiant antiquo, tamen atramento, doloſæ immutationi obnoxio, & antiquitatis ſimulandæ ſuſpicionem pariente, non eſt utendum.

§. XXVI.

10) ab imperfectione. Inſtrumenta enormi imperfectione *GONZALEZ TELLEZ ad c. 11. X. de fid. inſtr. lit. b. verbis : Non obſtant.* laborantia probatione carent. *vid. l. 16. C. de fid. inſtr.* Exigua enim imperfectio non vitiat ea; exemplum pete ex *c. 11. X. de fid. inſtr.* Poteſt tamen notarius, qui inſtrumenta perficere nequit, alium ſubſtituere, idque in ſuſcriptione annotare, item in ſubſidium, cum morte præventus eſt, autoritate Magiſtratus, ab eo conſcripta, in publicam formam redigi poſſunt. *c. 15. X. de fid. inſtr. R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien. §. 17.* curſu temporis accedente ipſa documenti antiquitas pro ſolennitatibus excitat præſumtionem, ut in dubio actus conſervetur. *a. l. 80. ff. de V. O. MENOCH. de præſumt. l. 3. præſ. 122. no. 65.* Neque tamen, mortuo tabellione, omnino probant protocolla, niſi ſit factum antiquum ſigno & ſubſcriptione teſtium ſimul corroboratum, *MASCARD. concl. 918. n. 4. conc. 1250.* habeatque ſignum & ſubſcriptionem autoris, adeoque inde, citra periculum fieri queat extenſio, de quo arbitrabitur magiſtratus. *d. R. J. §. 17.*

§. XXVII.

11) a vidimus pro originali venditato. Tranſumta (ſive vidimus) pro originalibus venditata, aut plus quam protocollum continentia. *Ord. Not. de An. 1512. §. 5.* non probant. Eodem modo inſtrumenta antiquitus facta recentius in protocollum redacta, ſunt ſuſpecta. *MASCARDUS de prob. concl. 741. n. 16. 32. 44. concl. 1250.*

§. XXIIX.

12) a conſvetudine & ſtylo recepto. Externe etiam conſpicitur num mos loci, judiciorum ſtylus

Digitized by Google

lus, provinciarumque conſuetudo ſit obſervata, alias oritur ſuſpicio, cum ea ad ſolennitates inſtrumenti referantur, v. g. ſi quis omitteret nomen Imperatoris & annum imperii. *R. I. de Ao. 1512. tit. von Notarien* §. 4. Vitiatur autem documentum omiſſione ſolennitatis juris, ita ut, propter hujus defectum, non probet & contra notarium omittentem ſolennitates præſumtio falſi oriatur. *l. jubemus 29. in fin. C. de teſtam.* Quoad ſcripturam privatam ſtylus ſuſpicionem arguit, ſi clauſulæ inuſitatæ adhibeantur, *a. c. illo vos. 4. X. de pign.* ortographia notabiliter non obſervata *a. c. 6. 11. X. de fid. inſtrum.* item additamenta haud ſeparabilia negotio autem non convenientia, acceſſerint, *a. l. 65. ff. d. V. O. l. 7. §. f. ff. de dol. mal. l. 20. ff. de uſuris. Conf. cit. Ord. Not. §. 4. & 18.*

§. XXIX.

Omiſſiones relicto vacuo multum præjudicii ſæpiſſime afferunt, v. g. quoad privata ſcripta, cum verba deficiunt, quæ obligandi ſe animum indicare debebant, in ſcripto, quod pro cambio haberi vult producens, deeſt vocabulum *Wechſel-Brieff* aut ſaltem inſertum, *ich gelobe zu zahlen gegen dieſen Brieff.* Equidem ſi notarius ſcripſit indictione - - relicto vacuo non vitium aut ſuſpicio ilico hinc emergit invaliditatem pariens, ſed eſt ſupplenda indictio ex officio, & quidem ex annis domini unde certitudo adparet, *a. l. 6. §. 6. ff. de edendo.* interim quoties ſpeciali conſuetudine remiſſa eſt indictionis exprimendæ neceſſitas, mos ille pro valido haberi poteſt. *R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien.* §. 3. 4. *Illuſtr. Dn. MENCKE ad O. P. S. tit. 24. §. 2. MASCARDUS de probationibus concl. 741. n. 25.* Minime tamen omiſſio ſubſtantialium in publicis & privatis documentis absque vitio fit, imo in connexione verborum & paragraphorum valde periculoſa ſunt vacua, poſſunt enim addi hac occaſione ſummæ ac particulæ jam conjunctivæ, jam disjunctivæ, jam convenientes, jam incongruæ, ſenſum & intentionem turbantes.

13) ab omisſionibus,

§. XXX.

14) a raſuris & correctionibus, De raſuris & correctionibus agere pergo, quæ a notariis maxime in eſſentialibus, fugienda, *dict. Ord. Not.* §. *18. & l. ſi unus. 12. C. de teſtam.* v. g. in ſumma, anno, die & perſona, aut annotandum eſt qua occaſione raſura ſuſcepta ſit. *d.* §. *18. c. 3. X. de fid. inſtr. 4. c. 9. X. de crim. falſ.* item in privatis obtinet. Hæ per ſe malitiæ opinionem &, ſi latent, multo majorem, arguunt. Nam facile inde emergere poteſt in nomine, ſumma & ſimilibus incertitudo. *c. inter dilectos 6. X. de fid. inſtr.* Falſum ſit ſi eſt prima ſcriptura raſa & aliud ſcriptum. *l. 14. C. de fid. inſtr. l. qui falſo ff. de teſtibus.* Sed excipienda eſt raſura haud notabilis, in parte non ſubſtantiali. *d. c. 9.*

§. XXXI.

15) a literis, Notarii, aliique inſtrumenta conficientes, varias obſcuras aut obſoletas fugiant literas & abbreviaturas, *Ord. Not. de Ao. 1512.* §. *19. & Nov. 47. c. 2.* ne ſenſus alius, dubius vel obſcurus evadat. Præſumtio enim naſci poteſt, quod varii ſcribæ munimenta confecerint, unde non admittuntur, quando doceri nequit documenta ab uno eodemque notario eſſe abſoluta. Non corrumpendæ ſunt literæ, neque ſyllabæ, aut verba ſignis exprimenda, quia negotia in ſcripturam rediguntur, ut melius demonſtrari eoque facilius in memoriam revocari, nec non ut nulla dubia emergant, & legi queant. Non itaque ſignis captioſis vitioſis & adulterinis eſt utendum, *d. Nov. 47. c. 2.* exemplum legitur *in c. 6. X. de fid. inſtr.* interim teſtamentum militis, qui in expeditione verſatur *a. l. 40. ff. de teſt. mil. l. 15. C. eod.* & legatum piæ cauſæ relictum *MASCARDUS de prob. concl: 288. n. 78.* etſi literis inuſitatis ſcripta ſint, tamen valent, modo intelligi queant.

§. XXXII.

16) a ſcriptura, Multo igitur magis omittendæ ſunt adjectiones marginales aut interlineares, in ſuſpectis ſubſtantiamque negotii concernentibus locis occurrentes, *MASCARDUS concl. 255. n. 2. ſeq.*

Ord. Not. de Anno 1512. §. 18. l. 21. §. *1. ff. qui teſt. fac. poſ.* Ex hoc ſequitur, Apoſtillam non eſſe adjiciendam, niſi perinde ac primaria ſcriptura ſubſcribatur, *MASCARDUS concl. 113. n. 1. ſeq.* ſive ſit ejusdem manus & atramenti, ſive diverſæ manus & atramenti, ut omnis falſi evitetur ſuſpicio *a. N. 73. pr.* Minimi enim momenti res in parte eſſentiali falſi conjecturam excitat, quamobrem neque diverſis perſonarum literis conſignari, neque ab alio excipi, ab alio vero ſubſcribi permittat inſtrumentum, ſi tabularius confiteatur propria ſe manu totum inſtrumentum exaraſſe, *c. 6. §. inſtrumentum X. de fid. inſtr. j. Ord. Not. d. l. §. 17.*

§. XXXIII.

Nunc de tempore inconcinno fidem ſcripturis derogante ſum dicturus. Inſtrumenta extra caſum neceſſitatis, *c. 4. X. de R. J.* tempore noctis dieque feriato inter ſacra confecta ſuſpecta evadunt. Teſtamenta hoc tempore, ob periculum in mora, confici poſſe neque ex hoc capite minui eorum fidem, certiſſime ſum perſuaſus, *d. R. J. §. 24.* præcipue ſi in inſtrumentum publicum redacta fuerint. *a. c. 2 X. de fid. inſtr.* Attamen in aliis ſcriptorum publicorum generibus, e quibus hora nocturna pateſcit, plus dubii emergit, inprimis ſi actus tales ſint, qui diurno tempore ſuſcipi debent, *a. l. 2. §. 31. ff. de orig. jur.* hinc judicum audientiæ noctu inſtitutæ ſunt ſuſpectæ, niſi aliud negotii qualitas arguat, e. g. in petito indultoque arreſto, ex quo poſtulanti potius, præ aliis, jus naſcitur. *l. 2. C. qui pot. in pign. j. l. 20. C. de tranſ.* Publicis privatisque commune eſt, quod dies in calendario haud exiſtens. v. g. 30. Febr. ſuſpicionem pariat, & in his quidem dies non ſemper & neceſſario exprimendus. *l. 34 §. 1. ff. de pign.* excipiuntur ea, in quibus intereſſe ex tempore moræ computandum, adeoque lapſus diei docendus eſt, *a. l. 12. C. de contr. vel comm. ſtipul.* nec non libri rationum, in his enim eſt dies adſcribendus. *a l. 1 §. 2. ff. de edend.* Non tamen ſemper nocet omiſſio diei nec ſuſpectam rationum fidem facit ſi modo annus & menſis expreſſus, & ex omiſſione diei non reſultet incertitudo. 17) a tempore.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

18) a ſigillo, A Doctoribus legibusque edocemur ſigilli omiſſionem & mutationem publicum vitiare inſtrumentum. *c. 1. X. de fid. inſtr Dec. El. 20. R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien. §. 3. c. 6. X. de fid. inſtr* Quodſi jungatur bulla eidem, bene impreſſum eſſe debet ſigillum, idem de privilegio dicendum eſſe conſtat. *d. c. 6. MASCARDUS de prob. concl. 921. concl. 247.* in privatis documentis e. g. mandatis ſæpe verba: *in Ermangelung meines Petſchaffts* accedunt, vel alienum adjicitur ſigillum: *in Ermangelung meines habe Titii Siegel hinzu gedrückt. a. l. 22. §. 2. ff. qui teſt. fac. poſ. CARPZ. Dec. 27. n. 7. NICOL. ad Proc. Sax. P. I. c. 7. n. 34.* Porro contingere poteſt ut illud, quod tranſumtum, aliquando careat ſigillo, &, novo poſtea corroboratum, pro originali venditetur. *a. c. 6. X. de fid. inſtr.* Vidimatæ notarii copiæ quantum ſit tribuendum judex arbitrabitur *a. l. 21. C. ad. L. Corn. de falſ. MASCARDUS de prob. concl. 112. n. 74. Ill. Dn. MENCKE ad O. P. S. tit. 24. §. 8.* Tranſumtum, juſſu judicis præcedente, ex juſta cauſa, factum, v. g. propter vetuſtatem, inſtar originalis probat, *c. f. X. de fid. inſtr.* citatis iis quorum intereſt. *O. P. S. ad Tit. 25. §. 1. BRUNNEM. ad l. 2. ff. de fid. inſtr. no. 2.* Inſtrumento non ſubſcripto nec ſubſignato parum fidei tribuitur, etiamſi in protocollo inveniatur. *a. R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien §. es mögen 23. j. §. 8. & 15.* Quoad ſigillum privatum, ægre in judicio Appel. Reg. & El. Sax. per *Mand. de Ao. 1696. 15. April.* admittitur, quod nomen per literas initiales artificioſe cohærentes, *einen verzogenen Nahmen*, vel emblemata continet, ſed ſemper adverſarii exceptionibus eſt obnoxium, aliud tamen quoad ſigillum nomen obſcurius exprimens eſt conſtitutum *O. P. S. ad tit. 7. §. 1.*

§. XXXV.

19) a filo. Omnibus numeris abſoluta ſint requiſita inſtrumentorum, *per Ord. Not. de Ao. 1512. §. 3. Rec. Imp. tit. von Teſtamenten §. 12. de Ao. 1512.* Hinc filum ſigillo annectere & ſubjicere ſolent, quo

quo ſoluto fides ſcripturæ facile denegatur, niſi conſtet illud caſu, non conſilio, detractum mutilatumve eſſe. *a. l. 30. C. de teſtam. l. ſ. ff. de injuſt. rupt. irrit. fact. teſt.*

§. XXXVI.

Anſa ulteriori datur perſcrutationi, ſi qualitas notarii non a ſubſcriptione
eſt certa, aut ſi eſt certa, ſed extra territorium creantis nota- vel perſonæ
rios inſtrumentum eſt confectum, *MASCARDUS de probat. concl.* publicæ,
977. ſ. 26. Nov. 47. c. 1. a. c. 15. X. de fid. inſtr. aut a notario qui bonam amiſit famam & falſa committere conſuevit. *l. 12. C. de ſuſcept. prapoſ.* qui enim ſemel malus ſemper talis in eodem genere delicti præſumitur, *l. 7. §. 3. de accuſ.* maxime ſi judex eum jam in hoc deprehenderit delicto.

§. XXXVII.

An & quatenus fœminæ ſolutæ in Saxonia Electorali abs- vel privatæ,
que curatore ſe obligare poſſint diſceptatum, *a. P. 3. Conſt. El. 15. §. gleichergeſtalt &c.* ſed jam *Mand. Reg. & El. de Ao. 1722. d. 18. Nov.* determinavit, majorennes de mobilibus ſuis valide contrahendi licentiam habere. Non itaque obligatio de Ao. 1720. a ſola vidua ſubſcripta, ſuſtinetur, quæ eo tempore ita contrahendi poteſtate haud pollebat. Multo minus, ſi virgo aut vidua non eſt majorennis, aut maritata mulier & ſine curatore quittantiam fecit, ſuper debito ſibi ſoluto, & debitorem ſuum liberare voluit. Eadem aſſertio obtinet in cambio ſtudioſi, quo non tenetur, per *Mand. Reg. & Elect. de Ao. 1718. d. 29. Dec.* aut illius qui nondum adimplevit annum 25. ætatis, niſi ſit mercator. *Mand. Reg. & Elect. de Ao. 1724. d. 21. April.* Perſonæ quæ ipſæ ſcribere nequeunt, nihilominus procuratorem in judicio conſtituere poſſunt, per mandatum nominibus earum a notario teſtibusque munitum. *O. P. S. ad tit. 7. §. 1.*

§. XXXIIX.

Cum vel nulli ad negotium & munimentum adhibiti ſunt vel teſtium,
teſtes h. e. cum in inſtrumento nulli ſunt denominati, *Nov. 44. l.*

ult. l. fi. certum petatur. aut nomina eorum non ſubſcripta, *l. ult. §. fin. C. eod. auth. ad hac C. de fid. inſtr.* vel non ſufficientes, neque legata ad pias cauſas ſubſiſtunt. *CARPZ. Dec. 152. P. 3. conſt. 4. def. 33. Dn. BARTH diſſ. 81. præjudiciis confirmat.* Quia nudæ notarii ſcripturæ absque teſtibus non creditur; cum inſtrumenta ſunt recenter condita adhibiti teſtes vero mortui, tales facile præſumuntur ſubſcripti, ut falſitas occultetur, maxime ſi ſunt privata trium teſtium ſubſcriptione corroborata & literarum fieri nequit comparatio. *MASCARDUS de prob. concl. 741. n. 8. j. MENOCH. caſ. 187. no. 44.* Diverſa tamen locorum conſvetudo moniti hujus univerſalitatem reſtringit. Quædam autem perſonæ plane teſtes eſſe nequeunt inhabilitatemque ſuam per literas produnt, ſi ſunt in teſtamentis mulieres, *§. 6. J. de teſtam. ord. l. 20. ff. qui teſtam. fac.* in re propria *l. nullus 10. ff. de teſtibus, l. omnibus 10. eod.* (h. e. ex qua quis commodum vel incommodum ſentit, excipitur vero legatarius, *§. 10. J. de teſtam. ord. 16. ff. de teſt.*) perſonæ quibus imperari poteſt v. g. liberi, famuli &c. *MASCARDUS de prob. concl. 759.* & ſimiles *CARPZOV. ad Proc. tit. 13. art. 6. no. 33.* advocatus, tutor, procurator, mandatarius. *MASCARDUS de prob. concl. 66. no. 15. &c. concl. 3.*

§. XXXIX.

Suſpecta falſaque a clauſis aut omiſſis partibus connexis.

Multum parti ſubnaſcitur præjudicii, cum ſenſus obſcurus in uno eodemque munimento explicatur, generalior reſtringitur, ſpecialior extenditur, & incertus determinatur. Unde copiæ imperfectæ actis non inferendæ, ſed cum aliqua documenti parte *einen Extracte* producens tantum utitur, nihilominus totum ſcriptum in judicio vidimatum eſt relinquendum, *O. P. S. ad tit. 24. §. 2.* & ſi reliqua plane alienum concernat negotium, introitus, concluſio & ſubſcriptio articuli adjungi debet d. §.

§. XL.

a Notario affirmante cui non creditur

Cum non ſemper eam ob cauſam valeat documentum, quod id notarius fecit, aut firmum dixit, neque probet ea, quæ tabu-

Digitized by Google

tabularius ipſe dixit ſe feciſſe. *a. l. omnibus 10. C. de teſtibus. MASCARDUS de prob. concl. 283. no. 3.* ſed quæ inter contrahentes geruntur. *conf. cap. quoniam X. de probatione. MASCARDUS concl. 1182. no. 3.* & notarii teſtiumque viſu, auditu, odoratu, guſtu vel tactu percipiuntur. *O. Not. de Ao. 1512.* §. *Die Notarien ſollen auch 6.* Si alia ſunt denotata, quam quæ fide tabellionis probari poſſunt ea non probantur. v. g. quæ geſta ſunt in ejus abſentia & tractatus antecedenter ſuſcepti, niſi eos fateantur partes, & conſignari velint. Neque fides inſtrumento habetur, cum in eo dixit alienationis eccleſiæ ſubeſſe aliquam neceſſitatem vel utilitatem, *MASCARDUS concl. 1102. no. 9.*

§. XLI.

Scripturæ variæ aperte ſibi contrariæ fidem non habent, *l. 6. §. 1. ff. de offic. præſ. c. 13. X. eod. l. 14. C. eod.* unde multo minus ea, quæ ſibi contraria, in ſe comprehendunt. *l. ſcripturæ 14. C. de fid. inſtr. l. 188. ff. de R. J. l. 3. ff. de teſt.* Si autem oppoſita conciliari poſſunt, judex debet ſpectare, quid ſit probabilius, *l. 14. C. de contr. ſtip. a. l. 3. ff. de teſt.* a contentis ſibi invicem contrariis.

§. XLII.

Si multa copulatim uno eodemque orationis contextu in teſtium examine rogantur, proferunturque a teſtibus, articuli fiunt vitioſi. *a. l. 3. ff. de teſt.* debent enim teſtes ad ſingula diſtincte reſpondere; *Dominus* RIVINUS *ad tit. XX. enunc. 40. pag. 788. præjud. ſiſtit.* a confuſa teſtium reſponſione.

§. XLIII.

Videat Judex ante omnia, num contenta ſcripturæ tam publicæ quam privatæ ſint veriſimilia. *MASCARDUS de prob. concl. 741. n. 36. j. concl. 913. n. 914.* Quo remotius enim a veritate recedunt, eo proximiorem falſitatis gradum demonſtrant. HARPRECHT. *Conſil. Vol. I. p. 310. no. 67.* a contentis non veri ſimilibus

Digitized by Google

§. XLIV.

a reprobante ſcriptura.

Qvando quis ſcriptorum contenta per reprobantia, etiam firma, deſtruere intendit, his diſcrepantibus, nulla a judice fides habetur, *c. 13. X. de fid. inſtr. l. 14. C. eod.* niſi alio adjuventur veritatis indicio, v. g. contrarium, reſpectu perſonarum, aut generalium, ſpecialiumve ſupra denotatorum vitiorum intuitu, appareat, aut alterum publicum, alterum privatum ſit, ſic enim illud prævalet, apochæ ante recognitionem. *MASCARDUS de prob. concl. 912. & 919. concl. 109. no. 10.* Dolus autem & ſuſpicio magis præſumitur, ſi contrarium ſcriptum occultatur.

§. XLV.

a contentis falſis.

Contenta & in publicis & in privatis ſcriptis poſſunt ſæpius eſſe, videri, vel præſumi falſa. Publicorum ſupra §. 40. vidimus privatorum exempla, liber mercatoris, argentarii, pro parte falſus ſiſtit, ſæpe etiam conjecturæ evincunt, aliud eſſe actum, aliud literis traditum, de quo *tot. tit. C. plus val. quod agitur. DUAREN. conſ. de hac materia, tit. plus valere qu. &c. p. m. 945.* Erroris commiſſi exemplum pete ex *l. 4. ff. de legatis I.* ſimulatione &c. *l. 1. C. plus valere, quod agitur,* nam ſcripturæ conficiuntur ad partium bene placitum & præleguntur, ut voluntatem ſuam non ſatis clare expreſſam melius declarent, ne error interveniat, &, contraria probatione, inſtrumenti fides corruat *l. 6. §. veritas ff. de offic. præſ. l. un. l. de errore calc. l. 92. ff. de R. J.* Voluntas partium omiſſa, & negotium, in quo duorum pluriumve requiritur conſenſus, ad unius arbitrium, vel abſentibus quibusdam, quorum intereſt, conſcriptum, inſtrumentum ſuſpectum & infirmum facit. Nam omnium conſenſu demum fieri debuit documentum. *R. J. de Ao. 1512. tit. von Notarien §. 10.* Fraudem ab una parte commiſſam exhibet *l. 2. C. plus valere &c.* poteſt quoque ab utraque parte ſimulatio intendi, nec non falſa ſententia contra mentem & voluntatem partium conſignari. *l. 5. C. plus valere quod. &c.*

§. XLVI.

Digitized by Google

§. XLVI.

Ceterum ſcriptura a veritate alienum continens inter partes contrahentes ex compoſito actum non vitiat, ſine tertii præjudicio *l. 3. ff. de fid. inſtr.* v. gr. quando dies præterita, tanquam præſens, ponitur *l. 2. §. 6. ff. teſt. quem. aper. d. l. 3. ff. l. 1. & 2. de edendo.* a contentis in præjudicium tertii tendentibus.

§. XLVII.

Materia quoque eſt ponderanda, an inſtrumentum de eâ facere permiſſum ſit. Unde ſtatim patet, publicum inſtrumentum ſuſpicione, ob contenta a tabulario conſignari prohibita, non valere. v. g. præſtito juramento ob cambiale debitum a minore 25. Annis, per *Mand. Reg. & El. de Ao. 1724. d. 21. April.* & quamvis non facile præſumendum notarium contra leges peccaſſe, circumſtantiis tamen urgentibus, falſi emergit conjectura, idemque obtinebit, quando ſuper illicita feudi alienatione confectum ab eo munimentum. *II. F. 55. verbis: ſcriba.* a negotio illicito.

§. XLIIX.

Qvoties inſigni obſcuritate laborat documentum a prudente & circumſpecta perſona concinnatum, perſonæ fides ac diligentia ſuſpicionem arguit, ſimulque probationem impedit. *a. l. 11 ff. de per. & commod. rei vend.* niſi hanc conjecturam, circumſtantiæ ebrietatis aliæve minuant. *a. c. 14. X. de vit. & hon. cler.* unde tum excutiuntur diverſitates commatum, ſynonimorum, abbreviaturarum, terminorum technicorum, literarum ſimiliumque. Retentio documentorum utilis eſt. γ) ob obſcuritatem.

§. XLIX.

Comparatio literarum *N. 73. proem. & c. 1. j. l. 3. §. 2. ff. de teſt.* quoque efficit, ut ad ſententiam deſuper ferendam originalia nonnunquam retineantur. *Dominus TENZEL in Diſſ. Erf. 1714. §. 22. de eo, quod juſtum eſt circa coecos, caſum & præjudicia* δ) ob comparationem.

cia

Digitized by Google

cia ſiſtit. Sed nunc in Sax. El. ſublata eſt ea comparatio & recognitio jurata teſtium. MASCARDUS *concl.* 285. *no.* 2. ad certos limites redacta *O. P. S. N. Tit.* 25. §. 5.

§. L.

a) ob inſtantiam partis adverſæ.

Productus interdum idonei quid ex munimentis contra ſe productis pro ſe eruere ſatagit. Itaque merito ad partis deſiderium originalia retinentur, *BRUNNEMAN. ad l. 3. no. 4. C. de fid. inſtr.* ut judex de veritate aſſertionis eo melius informetur.

§. LI.

β) nec non ob reprobationem.

Documenta retinentur quoque ob reprobationem, veluti ſi oppoſitæ probandæ ſint exceptiones v. g. teſtamento oppoſita exceptio teſtandi actus interrupti, obligationi ſolutionis, inſtrumentis omnibus falſi, *l. 24. C. de prob. l. 2. in fin. C. de fid. inſtr.* item ſubſcriptionis alium in finem factæ, teſtium abſentiæ, quorum præſentia cauſam adjuvaret, *c. cum Johannes. 10. v. cum igitur X. de fid. inſtr.* falſæ ſubſcriptionis & denotationis *Nov. 44. in pr.* & ſimiles. Exceptiones, etiam quæ a producto contra verſionem documentorum, in lingua peregrina conditarum afferuntur, non ſunt negligendæ, *O. P. S. N. tit. 25.* §. 3. *in fin.*

§. LII.

γ) ob ſententiam deſuper ferendam

Sententia ſopitur controverſia num ſuſpecta ſint documenta, nec ne, aut pro recognitis habenda, unde nullus dubito, quin etiam ad eam usque, pro re nata, in judicio ſint relinquenda, juxta *O. P. S. N. tit. 25.* Concurrentibus doli falſique ſuſpicionibus, in proceſſu executivo quoque, etſi ſubſcriptio recognita fuerit, contenta jurato diffiteri licet, *Dn. BARTH Diſſ. 185. p. 125. profert autores & præjudicia*, ita ut juretur extenſionem jurante inſcio & invito eſſe factam, *O. P. S. N. tit. 25.* §. 6. recognitione citato injuncta ſemper ſalva eſt jurata diffeſſio, *d. tit.* §. 4.

Do-

Digitized by Google